



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Iubilæi tempore qui non absoluendi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**



*Iubilæi tempore qui non absoluendi.*

Sed ne quidem Iubilæi alicuius tempore, qui ea, qui ea, quæ ex edicto publico, monitoriove Papali, vel Archiepiscopali notificare tenebantur, subticuerint, nullo modo absoluantur, nisi denunciationem ritè prius fecerint, ac omnibus ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisfecerint. Ceterum, ante restitutionem, debitamq; satisfactionem eos non absoluant, qui aliquatenus ad tale quid adstricti sunt, modo id facere possint: eos tamen excipimus, qui ex graui, periculosaque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confessarius, oneretque **ut**, quàm primùm poterint, satisfaciant.

Postquam Confessarius omnibus his præscriptis remedijs diligenter vsus fuerit, si impedimentum aliquod non videat, ob quod negare vel differre debeat absolutionem; dicat pœnitenti, ut de peccatis omnibus, confessus est, reliquitque in vniuersum, quæ verbo, cogitatione, opere, vel omissione commisit, quorum non reducatur, culpam humiliter suam dicat, confessionemque claudat.

Quod vbi factum est, Confessarius ei, maxime si talis est, qui rarius confiteri solet, peccatorum grauitatem ostendat, quibus eum nouerit magis inuolutum, ijsq; remedijs contra eadem armet & munit, quæ conuenientissima esse iudicabit. Proderit autem hac in parte Methodum Confessariorum bene tenere, vel Directorium, atque eiusmodi argumenti libros sibi facere familiares.

Deinde si fuerit necessarium, iniunget ei, ut  
satis-



satisfaciat & restituat, rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum ubi præscribit salutarem pœnitentiam, quemadmodum infra dicitur, eum absoluet.

*Absolutio excommunicationis quomodo concedenda.*

Si fortè pœnitens aliquam censuram incurrit, à qua eum absoluere possit, antequam conferat absolutionem à peccatis, eam debet, quæ à censuris datur, præmittere, multum autem iuvat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter si pœnitens casu aliquo reseruato teneatur, nisi licentiam absoluendi habeat, eum non absoluat; alias enim in excommunicationem incideret à Syndodo nostra Diœcesana latam. Nec ipsi Regulares, quantumuis priuilegio, quòd *Mare magnum* vocant, vel alijs quibusuis indultis gaudeant, à prædictis casibus absque peculiari nostra licentia absoluerè possunt: quemadmodum Gregorij XIII. Pont. Max. Sanctitas ex Cardinalium consilio, ad quos Concilij Tridentini interpretatio pertinet, declarauit.

Multo minus sese ingerent ad absoluendum à casibus in Bulla in Cœna Domini contentis, vel alijs Sedi Apostolicæ reseruatis.

Atqui vt omnes; qui in nostra versantur Diœcesi, vnã, eandemque absoluendi formam obseruent, hoc quo sequitur modo absolutionem præferent. Sed interim admonemus omnes seriò, ne verba ea omittant, in quibus tota absolutionis vis consistit, videlicet: *Ego te*  
*absol-*